TEXTOS DIVERSOS

1ª DECLINACIÓN

Europa

Europa magna est atque multas insulas paeninsulasque habet. Hispania, Italia et Graecia non insulae, sed magnae Europae paeninsulae sunt. Germania et Gallia neque insulae neque paeninsulae sunt. Britannia, Maiorica, Sardinia, Corsica, Creta Siciliaque magnae insulae sunt. Minorica autem insula parva est. Maiorica et Minorica Hispaniae pulchrae insulae sunt. Agricolae insularum terram magna diligentia arant. Multae villae in insulis sunt. Insularum orae nautis patent.

In Italia Roma est. Roma gloria sua terras complet, atque in ultimas terrarum oras pervenit.

Romae fortuna magna fuit. Avaritia gloriae magnam fiduciam Romae incolis dat atque pro patria semper pugnant victoriamque obtinent. Audacia enim victoriam dat.

Roma antiqua parva fuit, sed Albam delet. Deinde multis pugnis Etruriam et Campaniam vincit. Non divitiis, sed prudentia et patientia Roma superat, atque Italiam coloniis complet. Postea multas magnasqne provincias in Europa Roma habet magnaque diligentia administrat.

Sicilia Romanarum provinciarum prima est atque magnas divitias habet. In insula Sici1ia multae coloniae Graecae fuerunt. In insula Aetna est. Siciliae incolae Aetnam timent, nam Aetnae flammae Siciliae terras saepe vastant. Sed incolae siciliam amant, nam est pulchra amoenaque insula.

Graeciae incolae paucas vias habent, sed in undis navigant. Nautae Graeciae in oris Asiae atque Africae, Itiliae, Siciliae, Galliae Hispaniaeque multas clarasque colonias condunt. Syracusae Massiliaque clarae coloniae Graecae fuerunt.

In Graecia autem multae Romae provinciae fuerunt: Thessalia, Aetolia, Boeotia, Attica, Achaia... In Attica erant Athenae, litterarum scientiarumque patria. Athenis litterae florent, Spartae bellica constantia. In Attica olivae semper incolis pretiosae fuerunt, nam parva aridaque terra est. Olea erat grata Minervae deae. Graecia Romae magistra fuit. Roma et Graecia magna gloria florent. Romae poetae litteras Graecas discunt et Musas Graecas colunt, Multae statuae dearum Romae, Athenis, Syracusis atque in Italia fuerunt.

Hispania patria nostra est. Roma Hispaniae incolis bonas vias praebet atque provinciae magnas divitias auget. Hispaniae incolas Romae gratiam habent nam Roma Hispaniae magistra fuit Hispaniamque linguam Latinam et litteras docet. Hispania autem poetas Romae dat atque magnis divitiis semper Romam adiuvat. Sic Romae Hispania gratiam habet, Hispaniae Roma.

Gallia erat quoque provincia Romana. In provincia Gallia densae silvae erant atque in silvis multae saevaeque ferae. Celtae Galliae incolae erant. Galliae nautae procellas non timent, itaque longinquam Britanniam, magnam insulam, saepe in scaphis petunt. In

Germania erant quoque magnae densaeque silvae.

Hispania, provincia romana

Hispania provincia romana erat. Etiam Gallia, Sicilia, Britannia provinciae romanae erant. Hispania insula non est, sed peninsula. In Hispania multae et parvae insulae erant. Maiorica et Minorica insulae sunt: una, Maiorica, insula magna est; altera, Minorica, insula parva est. In Hispania incolae agricolae erant. Silvas arabant et aquilas nigras vulnerabat. Hispania terra magna erat. Hispania magnas urbes habebat.

Diosa Minerva

Minerva intelligentiae et sapientiae dea est. Sed etiam pugnas amabat et hastam loricamque portabat. Minerva Athenarum regina et patrona erat; in Ática et Athenis aras et statuas habebat. Noctua Minervae sacra erat: matronae graecae cum puellarum caterva ad aras errabant et deam sic orabant: “Minerva, tu es custodia patriae; tu liberas patriam puellasque servas.

La paloma y la hormiga (adaptación de Esopo)

Iuxta aquae ripam columba pennas albas levabat et in aqua formicam parvam videbat. Formica cum multis lacrimis columbam orabat. Columba herbas secat et formicae dat. Statim formica enatabat et columbae multas gratias dabat. Agricolae columbam videbat et sine mora sagittas parat; sed formica videt agricolam et mordet. Agricolae sagitta in terram cadebat et columba alba in auras volabat.

Dos grandes diosas

Fabulae carae sunt puellis, nam fabulae puellas delectant. Multae fabulae memorant antiquas deas. Minerva dea non solum sapientiae magna dea est, sed etiam pugnas amat atque hastam galeamque habet. Multae erant statuae et arae Minervae, reginae incolarum Graeciae. Graecae puellae magna cura Minervae aras rosis ornant. Diana, lunae silvarumque dea, sagittas portat atque sagittis feras vulnerat et necat. Cerva Dianae sacra erat.

2ª DECLINACIÓN

La religiosidad del pueblo romano

Antiqui Graeci et Romani religiosi erant; multos deos multasque deas adorabant, praeclaras aras aedificabant, ubi hostias immolabant, et eas ornabant statuis. Graecae et Romanae etiam in caelum preces tollebant. Primi dei Uranus et Gaia sunt. Deinde Saturnus, filius ex his deis, Uranum expoliat, in Latium contendit ibique habitat et regnat. Tandem Iuppiter, Urani filius, maximus deus est. Inter deas Graeci Heram reginam aestimabant. Minerva, sapientiae dea, in dextra acutam hastam agitabat cla-rumque clipeum in sinistra tenebat. Inter deos Neptunus pelago imperat. Vulcanus in Aetna focum servabat. Nuntius deorum Mercurius ambulabat ex Olimpo in terram.

Villa et hortus

In Italia multae villae multique horti sunt. In villa multi servi habitant, nam dominus villae magnam familiam habet atque in villa cum familia habitat. In villa habitat dominus cum liberis et servis. Multae villae cum magnis hortis in Italia sunt. In hortis multas rosas videmus, nam multae rosae ibi sunt.

In villa ostium magnum et ostium parvum est, nam villa duo ostia et parvas fenestras habet. In villa atrium magnum est atque in atrio parvum impluvium aqua plenum. Villa peristylum magnum et pulchrum quoque habet, nam in villis magna et pulchra peristyla sunt. Sunt quoque in villa multa cubicula, ubi dominus, liberi et servi dormiunt. Servi in parvis cubiculis dormire solent, nam servorum cubicula parva sunt. Cubiculorum fenestrae parvae sunt

Dédalo e Ícaro

Daedalus, vir magni ingenii, in insula Creta exsulabat. Ibi Cretae tyrannus Daedalo hospitium praebuit, atque Daedalus magnum labyrinthum tyranno aedificavit. Sed postea tyrannus Daedalum cum filio in Labyrintho inclusit. Tunc Daedalus alas pinnis et cera fecit et umeris aptavit. Deinde cum filio evolavit. Puer alas in caelo agitabat, sed alarum cera liquescit et miser puer in undas cadit. Interea Daedalus in Italiam venit et in pulchro templo alas deis dedicavit.

Iter marinum

Augustus Paulum amicum vocat: “Avus meus nos in naviculam suam invitat. Propera, care amice! Etiam Iulium invito. Avus nos iam in navicula expectat”. Paulus amico obtemperat. Cum Iulio amico ad ripam properat. Avus iam in navicula: “Saluto vos”, inquit, “amici! Ventus secundus est”. Amici salutant et naviculam avi intrant. Avus cum amicis naviculam remis incitat. Iam mediis in undis vento agitati navigant. Avus amicis e navicula pulchras ripas, amoenos vicos, hortos, campos monstrat. Magna est laetitia amicorum et allis amicis postea de undis et vento et amoenis vicis narrant.

Paulus, Marci filius, postea ad scholam iter marinum narrat. Magister, vir bonus et doctus, audit libenter et Paulo librum dat.

Paulus: “Miser Auguste, hodie non ambulat ad scholam neque magister ei libros donat”.

Feriae Augustum delectant sed pigritiam non amat et cum amico Paulo in silvis et in agris ambulat.

Incendium in vico

In vico magnum aedificium ardet. Etiam Augustus et Paulus ad incendium properant. Iam villa et stabula nova aedificii magno in periculo sunt. Sed agricolae stabula intrant. Magna pericula flammarum non timent. Magno studio taurum et vaccas et equos e stabulis servant. Tum multa aqua incendium villae et stabulorum sedant. Sic etiam aedificia vicina periculo liberant. Nunc magnum est gaudium agricolarum, quia bona vico cupiunt.

Postea Augustus et Paulus in schola incendium narrant.

Augustus dicit: “Cum ego et Paulus via Iulia ambulamus incendium magnum in aedificio surgit. Magnae flammae viam illustrant et in media incolarum turba timemus et currimus.

Etiam agni parvi e stabulis in viam ruunt. Agricolae et vigiliae nos a via prohibent et domum redimus. Hodie in schola adsumus quia via Iulia expedita est, et veniam petimus.

El lobo y la vieja (adaptación de Esopo)

Lupus esuriebat et circum agricolarum casas errabat et cibum quaerebat. Casae femina puerum, filium parvum, increpabat: “Puer parve, cur ploras? Tace; si non taces, lupum vocabo et lupus te vorabit”, dicebat vetula puero. Lupus circum casam feminam audiebat et gaudebat. Erant tenebrae: puer iam non flebat, sed dormiebat. Tunc vetula puero dicebat: “Si lupus venit, necabimus lupum”. Et lupus tunc dixit: “Si vetulam audio, non manducabo et mortuus ero”.

El lobo y el cordero (adaptación de Fedro)

Lupus et agnus ad rivum venerunt. Fluvii aquam potabant. Supra erat lupus, infra circum rivi ripam agnus. Lupus timidum agnum observabat. Tunc agnus lupum vidit et statim fugam temptavit. Agnus enim lupum timebat, nam antea lupus agni catulos devoravit.

Tunc lupus agno dixit: “Cur aquam turbidam fecisti?” Timidus agnus respondit: “Tu es supra et aqua per rivum decurrit”.

Postea lupus: “Ante sex annos tu luporum catulos necavisti”. Sed agnus: “Tunc ego natus non eram”.

Postremo lupus dixit: “Pater tus lupis maledixisti”. Interim lupus ad timidum agnum appropinquavit, agnum necavit voravitque.

Phaedri fabula scripta fuit contra viros iniustos et superbos, qui sine causa viros bonos et innoxios oppresserunt.

El lobo y el cordero (adaptación de Fedro)

Lupus et agnus in fluvii ripa aquam potabant. Superior stabat lupus longeque inferior agnus. Agnus parvus et innoxius erat, at lupi audacia magna erat. Agni et cervi lupos timent, nam lupi agnos saepe devorant. Agnus lupum videt et fugam temptat, sed lupus videt etiam agnum et causam iniuriae quaerit. Tua causa, dicit, aqua turbida est. At agnus respondet: tu potas superior et aqua decurrit a te. Tamen lupus iniustus timidum agnum vulnerat et devorat. Sic viri iniusti fictis causis viros infirmos et innoxios saepe opprimunt.

La guerra de Troya

Clarum oppidum Asiae Troia erat. Troiani oppidum incolebant atque cum Graecis pugnabant, nam Graeci Troiam obsidebant. Belli causa Priami filius est, nam pulchram

Graeciae feminam raptat et secum vehit. Multi dei Graecos iuvabant. Multi populi deique Troianos quoque iuvabant. Graeci Troianique varia fortuna in latis Troiae campis strenue pugnabant. Tandem Graeci Troiam dolo expugnantio atque praeclaram victoriam obtinent. Viros, feminas et pueros interficiunt aut capiunt. Oppidi tecta templaque ferro flammaque impie delent.

3ª DECLINACIÓN

Corpus humanum

Humanum corpus membra quattuor habet. duo bracchia duoque crura. In bracchiis manus sunt, atque in manibus digiti decem: in cruribus sunt duo pedes. In manibus pedibusque sunt ungues. Duo pedes et duae manus in corpore humano sunt.

In hominis corpore unum caput est atque in capite duo oculi et duae aures, unus nasus et unum os. In ore lingua et dentes sunt. Capillus supra caput est et supra oculos frontem habemus.

Post frontem cerebrum est atque in cerebro sedem rationis cogitationisque habemus.

Caput est supra collum et infra collum est pectus. In pectore cor est atque sanguis in cor per venas fluit. In pectore sunt quoque pulmones atque infra pulmones est venter.

Homines flectunt bracchia cubitis et crura genibus, nam cubitus est in bracchio atque genu in crure est.

Color sanguinis ruber est, dentes albi sunt; plerumque homines Romani oculis nigris brevique statura sunt atque nigrum capillum habent.

Orfeo y Eurídice

Orpheus poeta feras etiam cantu suo domabat atque magna saxa lyrae suavitate movebat. Eurydicam, pulchram feminam, in matrimonio habebat multumque amabat. Orpheus beatus erat, sed vipera Eurydicam in prato mordet suoque veneno propere necat. Euridica in Inferos, mortuorum magna regna, descendit.

Orpheus in Inferos venit atque inter mortuorum umbras quaerebat Eurydicam suam. Postremo etiam Proserpinam, Inferorum deam regnamque, suis verbis canoris movit. Proserpina dea Eurydicam Orpheo reddit. Iam Orpheus Eurydicam ex Inferis in terras secum ducebat laetusque erat. Orpheus ad Inferos respicere non debebat, sed, magna cura motus, ad Inferos respexit. Tunc Eurydica in Inferos rursus descendit atque in Inferis perpetuo mansit.

Saturno y la Edad de Oro

Saturnus in Olympo per multos annos regnavit, sed Iuppiter, filius suus, contra patrem bellum movit. Iuppiter post maximam pugnam patrem vicit et ex caelis Saturnum expulit.

Primus Saturnus in Italiam venit, genus altis montibus dispersum composuit et Latinos agrorum cultum docuit.

Ex illo tempore sub rege Saturno illa aetas aurea fuit. Poeta Ovidius sic celebrat: homines sine lege, sponte sua, vitam agebant; timor non illis erat et sine vindice bonum rectumque faciebant; nondum fossae oppida cingebant, nec tuba milites ad pugnam congregabat, nec matres bella et gladios cruentos horrebant.

Tellus, illa sola, optimos fructus hominibus ferebat; non boves, non tauri terram arabant. Ver erat aeternum et placidi Zephiri flores arboresque auris tepidis mulcebant; flumina iam lactis, iam nectaris currebant et mella flava de ilice dura stillabant.

Armas romanas

Arma Romanorum erant galea, scutum et lorica, atque tela autem erant hasta, gladius, pila et sagittae; in proelio etiam signa portabant. Primum Romani contra populos vicinos, Volscos, Sabinos et Tuscos, magna bella gerebant. Hi populi oppida muniebant ubi habitabant, finitimosque agros colebant. In bello Romani inimicas urbes obsidebant et oppugnabant; adversus eas tormenta, ballistas et vineas adducebant. Etiam per agros silvasque vicos atque villas vastabant. Galli autem, strenuus et barbarus populus, qui e Gallia in Italiam veniebant, urbem Roman capiunt et vastant.

Los vestidos de los romanos

Romanis onus multorum vestimentorum non placebat. Civis Romanus tunicam semper gerebat. In villa aut in agris tunica satis eis erat; sed in urbe et in foro et in curia semper togam albam super tunicam induebant. Poetae antiqui togam saepe laudant. Servi togas non habebant. Cives calceis ambulabant. Capite nudo laborabant, at in longis itineribus petaso caput tegebant.

Numa Pompilio

Successit Romulo Numa Pompilius, vir inclitae iustitiae. Ex oppido Sabinorum oriundus erat. Romam venit et sacra plurima instituit cultumque deorum docuit. Salios ceteraque sacerdotia creavit annumque in decem menses et fastos dies nefastosque descripsit. Magnam aram deae Vestae consecravit et nullum bellum gessit. Numae successit Tullus Hostilius.

C.Antonius in tablino

C. Antonius in tablino est. Tablinum C. Antonii magnum et pulchrum erat. Ornatas parietes habebat et supellectiles sumptuosae erant. Stichus, servus fidus, C. Antonii villam rusticam administrat et nunc administrationis rationem reddit.

Omnes servi fideles non sunt, quia libertatis amor magnus est in homine, et servitus libertati absona est. Servorum condicio tristis est: improbus labor, remuneratio nulla, quamquam aliquando servi parvum peculium habent. Dominus servos iubet verberare si impigre non laborant. Servus igitur dominum timet atque odium habet. Timorem palam demonstrat, sed odium palam non demonstrat. At si opportunitas est, officium suum non servat.

Stichus familiae C. Antonii antiquus servus est. Stichus C. Antonium puerum cognovit. Stichus C. Antonium saepe adiuvit. C. Antonius igitur Stichum aestimat.

C. Antonius administrationis tabúlas vidit atque laetus factus est, nam villa florebat. C. Antonius Stichum manumisit.

- Quoniam servus fidelis diu fuisti -dixit C. Antonius-, tibi libertatem dabo. Quamquam homo liber es, tamen mane nobiscum!

Stichus iam libertus est.

- O -dixit Stichus permotus-, nimirum manebo vobiscum, sed libertas carissima mihi est.

Stichus osculum in manu dominum dedit.

Pseudolus, servus iuvenis, cupidus quoque libertatis erat. Vidit Stichi secundam fortunam ac domino dixit:

- Si ego officium bene servavero, dabisne libertatem mihi?

- Fortasse -ait C. Antonius-. Fidem tuam retine et impigre labora. Libertas summum praemium est.

Marco se levanta

Dies est, dum sol in caelo est. Dies, inter Romanos, in duodecim horas divisus erat. Prima pars diei est mane. Mane est rmis noctis atque die~i Mane est finis noctis atque diei initium. Mane est. Marcus in lecto iacet; adhuc dormit. Pseudolus intrat in cubiculum Marci atque eum ex somno excitat:

- Surge e lecto, Marce -dixit Pseudolus-. Iam hora prima est.

Marcus ex somno non evasit.

- Marce! -clamat Pseudolus-, surge e lecto. Mane est. Iam Antonia surrexit atque manum et faciem lavat.

Denique Marcus surgit.

- Pseudole, -dixit Marcus-, da mihi aquam; lavabo.

Aqua frigida est. Marcus manum et faciem lavavit.

- Non solum faciem -dixit Pseudolus- sed etiam aures et bracchia lava. Aures et bracchia tua sordida sunt.

- Da mihi tunicam, Pseudole -dixit Marcus.

Marcus tunicam induit, etiam togam praetextam; viri enim atque pueri romani togam gerunt. Toga alba propria viri est. Toga praetexta, brevis, propria pueri est. Mulieres romanae “togatae” non sunt. Mulieres stolam gerunt.

- Da mihi calceos, Pseudole -dixit Marcus.

Puer calceos suos induit. Calcei pedes defendunt.

Marcus et servus in atrium intrant. Pater, mater et Antonia iam in atrio sedent. Antonia et Marcus panem, caseum atque mala manducaverunt.

- Pseudole -dixit C. Antonius-, sume libros, tabellas et stilos Marci ac Antoniae atque eos in scholam age.

Pseudolus paedagogus est, quia pueros in scholam agit.

Pseudolus libros, tabellas atque stilos sumpsit atque pueros in scholam egit.

Antonia laeta erat; non solum sciebat dicere ordinatim nomen mensium, sed etiam scribere.

Marco en la escuela

Marcus et Antonia in scholam pervenerunt. Iam Quintus, Sextus et Flavia pervenerant atque in sella sederant. Magister autem non erat. Pseudolus Marco et Antoniae libros, tabellas atque stilos dedit. Marcus librum, tabellas atque stilum sumpsit et adsedit proximus Quinto. Antonia librum, tabellas et stilum sumpsit et proxima Flaviae adsedit. Pseudolus domum revertit.

Magister venit. Casius magistro nomen est. Discipuli surgunt, iam non sedent, sed stant, atque magistrum salutant:

- Salve, magister! -dicunt discipuli.

- Salve, parvi discipuli! -respondet Casius-. Considete, pueri. Sumite tabellas et stilos atque nomen mensium seribite.

Dum discipuli impigre laborant, Publius ianuam pulsat atque aperit.

- Salve, magister! -dicit Publius-.

- Salve, Publi -respondet Casius-. Cur in scholam sero pervenisti? Cur officium neglexisti?

- Mane vocem servi non audivi -dicit Publius-. Atque dormivi.

- Tu semper dormitas, Publi -respondet Casius-. Conside, sume tabellam atque nomen mensium scribe.

- Stilus mihi non est -dicit Publius-. Ego velociter in scholam currebam atque stilus

cecidit. Canis autem item cucurrit et stilum dentibus rapuit.

Discipuli rident, sed magister, severus, non ridet.

- Fortasse -ait Casius- stilus magis utilis cani sit quam tibi. Veni, Publi, verberabo te ut ex somno evadas.

Casius tergum Publi verberat. Magistri romani plagosi erant. Publius autem non plorat, quamquam dolorem sentit, quia puero romano lacrimae non conveniunt.

Deinde magister Publio stilum commodavit. Iam omnes discipuli scribunt.

Paulo post magister tabellas discipulorum sumit atque legit. Postremo Casius dixit:

- Aperite libros. Heri leges legimus. Hodie viri illustris vitam legemus.

Una casa romana

Familia tua magna est. Domi multi servi ancillaeque laborant. Domus ampla et pulchra est. In eius atrio focus, impluvium, compluvium atque Lares domestici sunt. Pater tuus est dominus aedium atque multos clientes amicosque ad se cotidie admittit, prudentiaque consilia eis semper dat. Nonnumquam eos etiam pecunia iuvat

Domus in peristylio suo latam et decoram habet piscinam, ubi multi et pulchri pisces natant. Circum piscinam tuus avus multas arbores consevit: malos et piros cupressosque. In eo horto multae rosae etiam sunt. Rosae te familiamque tuam odore grato pulchrisque coloribus suis valde delectant. Multi tui maiores praetores, aut consules aut etiam dictatores fuerunt praeclaraque facinora pro patria gesserunt. Ob ea merita claras eorum imagines in atrio semper videmus.

La vida rústica

Vita hominum rustica multo antiquior est quam urbana, quoniam antiquis temporibus homines rura colebant rurique habitabant, nam urbes nondum habebant. Divina natura hominibus dedit agros, ars humana urbes aedificavit.

Non solum antiquior agri cultura, sed etiam melior est homini quam vita urbana. Ergo non sine causa maiores nostri ex urbe in agros redigebant saepe cives suos, quod in pace rustici Romani ceteros cives alebant, et in bello patriam strenue defendebant. Itaque domi militiaeque agricolae, qui terram colebant, piam atque utilem vitam in agris agebant. Agricolae ruri in pagis vicisque habitabant unde nomen paganus originem cepit, id est, homo rusticus et indoctus, qui in locis agrestibus et in pagis saepe superstitiones inanes colit.

Antiquis temporibus beatus erat ille, qui paterna rura colebat. Nunc divites Romani quotannis aestate petunt villas suas, ruri haud procul fluminum ripis aut in maris litore sitas. In villa non solum dominis et servis aedificia sunt, sed etiam iumentis, equis, vaccis, ovibus ceterisque pecoribus vasta stabula, et plaustris ampla tecta.

Villa abundat porco, gallina, agno, caseo. Servi terram aratro arant, vites aut oliveta

curant; pastor oves pascit. Ver flores praebet; vere omnia in agris rident, prata et arbores florent. Formosa est messibus aestas. Autumno rusticus maturam uvam colligit et sub nudo pede musta fluunt. Deinde agricolae in fecundum solum semina iacient. Hieme oleam legunt

Nonnumquam aper agros vastat ac multos agricolas vulnerat. Tunc venatores venabula ac retia ad venationem parant atque canibus feram e latebris excitant eamque in silvis agitant. Tandem canes aprum ferocem cingunt. Ferae oculi ardent; repente monstrum in canes ruit canumque turbam spargit. At venatores feram venabulis traiciunt.

Antiguos dioses romanos

Initio Romani, genus agricolarum, ruda numina invocaverant. Invocabant enim Iovem, numen caeli et fulminis; Martem, dominum hiemis et tempestatis; Saturnum, auctorem sementis et agrorum; Terminum, custodem limitum suorum; Silvanum, deum silvarum nemorumque; Cererem, deam frugum et herbarum; Venerem, dominam florum; Palem, propitiam pecori pastoribusque.

Postea Romani deorum nomina novis fabulis auxerunt atque imprimis appellaverunt Iovem hominum deorumque patrem et postremo Tarquinius Superbus, Romanorum ultimus rex, in monte Capitolio Iovi Optimo Maximo templum magnificum aedificavit.

5ª DECLINACIÓN

Milites romani

Militum magnus numerus in proeliis pro patria sua pugnat patriamque suam defendit. Strenuus dux milites in proelia ducit atque militibus imperat, nam milites duci suo parere debent. Miles est vir, qui pro patria armatus pugnat; itaque scutum et gladium et pilum fert, nam galea et scutum et gladius et pilum arma militis Romani sunt. Galea, lorica et scutum arma sunt militemque defendunt. Gladium et pilum Romani tela vocabant. Miles est enim armatus vir armisque in pugna strenue pugnat. In proelio milites gladiis, pilis et hastis pugnant, galea, loricaque et scuto se defendunt.

Equites atque pedites milites sunt. Eques ex equo pugnat; pedes pedibus pugnat, nam pedes equum non habet. Pedites atque equites strenui sunt. Equites hastas ferunt, pedites autem in proelio primum pila iaciunt, deinde gladio pugnam gerunt. Pilum non tam longum est quam hasta, sed minus longum quam hasta est. Gladius peditum non tam longus quam gladius equitum est, nam equites in pugnis ex equis pugnant. Pedites autem pedibus incedunt atque arma et sarcinam humeris suis secum portant. Cum in insidiis incidunt, milites sub sarcinis saepe pugnare solent, nam sarcinis suis exuere se non possunt.

PRONOMBRES

Expulsión de Marcio Coriolano

Octavo decimo anno postquam Romani reges eiecerunt, Q. Marcium Coriolanum, ducem Romanum, quia Coriolos urbem ceperat, ex civitate expulerunt. Q. Marcius Coriolanus Volscorum urbem cum ira contendit et auxilia contra Romanos accepit. Deinde Romanos saepe vicit et usque ad quintum miliarium oppidi accessit. Oppugnavit

etiam cum legionibus patriam suam; ad eum mater Veturia et uxor Volumnia ex oppido venerunt, lacrimis et precibus superaverunt. Postea is copias Roma removit.

Sosias encuentra a su doble (dios Mercurio), de Plauto

SOSIA: Vera dico, domine. Omnem imaginem meam alter habet et similis est mei. Idem est atque ego.

AMPHITRUO: Quid narras?

SOSIA: Eodem est ille habitu; iisdem pedibus incedit, iidem oculi, idem nasus, eadem frons in capite eodem; color idem eiusdem barbae. Easdem aures habet, os idem. Neque lac lactis similius est quam ille ego similis est mei. Eadem fecit atque ego. Ipse mihi omnia narravit, non modo pugnam, sed praedam, hostes timoremque meum. Ipsius Sosiae vim et virtutem agnovi.

AMPHITRUO: Insane!

SOSIA: Vera dico. Nunc ego sum domi.

AMPHITRUO: Non es domi: hic mecum ades. Homo idem duobus locis simul esse non potest.

SOSIA: At ego sum profecto hic et illic: res ita est!

AMPHITRUO: Ubi bibisti, homo turpissime?

SOSIA: Nusquam equidem bibi.

AMPHITRUO: Tunc id dicis!

SOSIA: Ego ipse dico. Audisne? Domi ego sum, inquam, et apud te adsum Sosia idem. Res eius modi est...

COMPARATIVOS Y SUPERLATIVOS

La zorra y el cuervo (adaptación de Esopo)

Vulpes callidissima est omnium animalium. Quondam corvus in altissima arbore sedebat et in ore caseum tenebat. Vulpes videt caseum et ad arborem appropinquat et dicit:

“Amice corve, tu es avis fortunatissima. Tu es pulchrior quam pavo, nigrior quam pice et tuarum pennarum fulgor maior est splendore auri. Si tu vocem suavem habes, tu es felicior et nobilior omnibus avibus.”

Corvus laetus et beatus vulpes laudes audit, os aperit, vocem dat. Caseus ex ore cadit et vulpes gratissimum caseum invenit. Tunc vulpes dicit: “Avis pulchra, tu es stultior ceteris animalibus”.

RELATIVOS

Praedium romanum

Publius amicis suis Graecis patriam suam his verbis monstrat: “Hic hortus, haec domus, hi agri, hae vineae, haec prata avi mei sunt. Hunc locum, ubi ipse natus sum, magis amo quam ipsam Romam aeternam. Hanc domum, hoc stabulum, haec aedificia bonus ille vir ipse sua manu nuper renovavit. Sed iam proavi nostri hoc in praedio nati sunt et hac in domo habitaverunt. Hos agros latos huius praedii ipsi araverunt. In ara huic rivo vicina diis hostias immolaverunt”.

Tum Alexander haec respondet: “Placet nobis iste locus, ista domus, ubi natus es, non solum istud praedium ipsum, sed etiam loca isti praedio finitima. Sed maxime nos quoque delectat exiguum illud oppidum, pulchra illa terra, ubi ipsi nati sumus, Graecia, cara patria nostra. Illius terrae semper memores sumus, illi terrae semper fidem servamus. Aliena terra nobis non tam grata est quam amoena illa loca patriae nostrae. Sed valde gaudemus, quod nobis istum animum amicum, istud hospitium rarum praebes et cuncta nobis monstras”.

Breve descripción de Grecia

Graecia celeberrima est antiquitate sua, Diis heroibusque suis, et viris in omni genere artis ac scientiae praeclaris.

Fines habet a septentrione Illyriam et Macedoniam, ab occidente Ionium mare, ab oriente Aegeum, a meridie Mediterraneum.

Ora eius multis promontoriis et sinibus lancinatur.

Promontoria praecipua sunt Taenarus et Malea ad meridiem, Sunium et Artemisium in oriente.

Sinuum maximus est Corinthios, qui penitus in terras penetrando Graeciam in duas partes dividit, et arctissimo isthmo Corinthiaco terminatur.

Numerus insularum infinitus orae adiacet, aut per Aegeum mare passim spargitur.

Ex iis notissimae sunt Corcyra, lthaca, Cythera, Aegina, Salamis, Euboea, Cyclades, Lesbus, Chius, Samus, Rhodus, et, maxima omnium, Creta.

Itaque Graeci nauticae rei studio et peritia inclaruerunt et permultas colonias condiderunt.

Primi Graeciam incoluere Pelasgi, Asia oriundi, qui moenia cyc1opea dicta exstruxerunt. Sedecimo ante Christum natum saeculo Cecrops Aegyptius ad littus Atticum appulit. Ibi oppidum, Athenas, condidit.

Epístola anunciando la victoria sobre los piratas

“Q.Munatius Rufus filio salutem dicit.

Sexte, mi fili, Athenis literas meas scripsi. Bellum quod gesseramus paucis ante diebus, ad finem venit. Multi sunt piratae, quos interfecimus aut cepimus. Oppida, quorum domini fuerunt, nunc nobis sunt. Pompeius, cuius nomen magnum est, triumphabit. Gloria, quae Pompeio est, quoque eius militibus erit. Gloriosus miles tamen ego non ero. Omnes quas gessimus res tibi narrabo. In ea nave, in qua semper navigavi et quam in portu videbis, Romam redeo. Laetus ero cum Romae ero. Bellum enim facere non semper iucumdum est. Vale

Milites romani

Militum magnus numerus in proeliis pro patria sua pugnant patriamque suam defendunt. Strenuus dux milites in proelia ducit atque militibus imperat, nam milites duci suo parere debent. Miles est vir, qui pro patria armatus pugnat; itaque scutum et gladium et pilum fert, nam galea et scutum et gladius et pilum arma militis Romani sunt. Galea, lorica et scutum arma sunt militemque defendunt. Gladium et pilum Romani tela vocabant. Miles est enim armatus vir armisque in pugna strenue pugnat. In proelio milites Gladis, pilis et hastis pugnant, galea loricaque et scuto se defendunt.

Equites atque pedites milites sunt. Eques ex equo pugnat; pedes pedibus pugnat. nam pedes equum non habet. Pedites atque equites strenui sunt. Equites hastas ferunt, pedites autem in proelio primum pila iaciunt, deinde gladio pugnam gerunt. Pilum non tam longum est quam hasta, sed minus longum quam hasta est. Gladius peditum non tam longus quam gladius equitum est, nam equites in pugnis ex equis pugnant. Pedites autem pedibus incedunt atque arma et sarcinam humeris suis secum portant. Cum in insidiis incidunt, milites sub sarcinis saepe pugnare solent, nam sarcinis suis exuere se non possunt.

Milites Romani non in oppidis, sed in castris vitam agunt. In castris militum Romanorum feminae non sunt, nam nec feminae, nec pueri cum militibus habitare possunt. Soli viri arma ferre atque in pugnis pro patria, deis liberisque suis pugnare solent. Vallum altum longumque, fossaque lata atque alta castra Romana defendunt. Quattuor portae latae per vallum in castra ducunt. Inter duas portas via lata patet, quae castra dividit. Milites Romani in castris habitant atque in proeliis strenue pugnant suaque magna virtute patriam, deos liberosque suos a periculis defendunt. Patria suis strenuis militibus pro virtute sua magna praemia saepe dat.

Ecce gratum et optatum ver reducit gaudia

Longa atque aspera haec hiems fuit. Sed hiems iam cedit et sole calido veris glacies solvitur. Nunc arbores novis foliis ornatae sunt. Nemo domi manet. Ego quoque cum fratre diebus festis rus propero et illic iucundos dies ago. Quam laeta sunt pulchra itinera per campos variis floribus ornatos!

Aliquando multi amici ad meam villam veniunt et prope villam in latas fici umbras sedent. Postea cum amicis clam ad propinquum rivum propero et naviculam ascendimus.

Amicus clamat: «Poeni sumus. E Numidia ad Siciliam navigamus». Aliquando unus ex amicis e navicula in frigidas undas praccipitat.

Ruri tempora laeta vivimus. Sed nullius rei gaudium, nihil totius mundi, quod pulchrum est, diuturnum est. Pauci nobis videntur hi dies pulchri, post quos rure domum ibimus, quod magister nos iam in schola expectat.

PASIVA

La leyenda de Prometeo

Prometheus, Minervae auxilio, homines ex terra et aqua creaverat. Deinde ignem e caelo hominibus praebuerat. Nam, cum aliquando in caelum veniret, facem igneam secum de caelo in terram hominibus apportavit. Itaque homines terrarum domini aemulique deorum facti sunt. Ob hanc causam Prometheus in monte Caucaso ferreis catenis vinctus est. Iuppiter vulturem quotidie mittebat, ut Promethei pectus laniaret et iecur ederet; sed ea pars iecinoris, quam vultur interdiu devoraverat, noctu crescebat, ut rursus vultur devoraret. Tandem Hercules, misericordia motus, vulturem sagittis transfixit Prometheumque catenis liberavit.

Níobe

Cum aliquando mulieres Thebanae Latonae, Apollinis et Dianae matri, sacrificium facerent, Nioba, Thebanorum regina, eas vituperavit et: “Cur, inquit, mihi sacrificia non facitis? Cur Latonam mihi anteponitis? Ego septem filias septemque filios habeo; Latona autem tantum unum filium unamque filiam habet.” Mulieres sacrificia omittunt. Tunc Latona liberos suos oravit, ut superbiam Niobae vindicarent. Illi precibus matris statim paruerunt. Apollo omnes Niobae filios suis sagittis interfecit. Misera mater suo corpore filias suas tegere cupiebat, sed Diana septem sorores sagittis necavit. Inter filios et filias exanimes resedit Nioba. Ventus capillos suos non movet, in ore color est sine sanguine, oculi immoti manent, tota rigida sedet. Misericordia deorum in saxum mutata est. Tamen perpetuo flet. Vento in montis Sipyli verticem rapta est. Ibi fixa in montis cacumine liquitur et saxa etiam nunc Niobae lacrimas manant.

Espectáculos sangrientos

Romae spectacula varii generis saepe edita sunt: histriones, ludi circenses, athletae, naumachiae, venationes, sed praecipue munus gladiatorum. Gladiatorum spectaculum crudele et inhumanum est atque eorum condicio atrox, nam pristinam libertatem patriamque desiderant gravissimaque disciplina in officio continentur. Etenim plerique gladiatorum a Romanis in bello capti sunt; deinde in ludo gladiatorio lanista hos servos feroces et fortes ad dimicandum ligneis gladiis exercet. Ubi circenses ludi appropinquant magno pretio a domino locantur et in Circum vel in Amphitheatrum adducuntur, ubi ferro decertant. Hodie in Amphitheatro duo gladiatores inter se fortiter pugnabant. Unus ex his, qui saepe ante victoriam obtinuerat, in arena graviter saucius cecidit. Laevam manum sustulit. Ita a populo salutem petiit: nonnumquam enim populus gladiatori victo parcit. Sed princeps pollicem vertit, idque incredibili clamore et plausu a populo comprobatum est. Tunc gladiator victus uno ictu a victore interfectus est.

El maestro explica los sucesos de Troya

Deinde Casius narravit vitam Aeneae et adventum in Italiam.

“Per decem annos Graeci cum Troianis pugnaverant. Graeci Troiam saepe oppugnaverant. Sed oppidum expugnare non potuerat. Graeci magnum equum ligneum fecerunt. Multi viri armati intus latebant. Equus ante portas Troiae collocatus est, sicut donum deae Minervae. Graeci autem deponere armas simulaverunt atque in insulam Tenedum, proximam Troiam, navigaverunt.

Dei inmortales Troianos deseruerant. Igitur Troiani crediderunt dolis Graecorum. Moenia aperuerunt atque magnus equus intra moenia acceptus est.

Noctu Graeci qui in equo occultati erant liberati sunt. Socii eorum redierunt atque Troiam incenderunt. Iam tota urbs flagrabat. Iuppiter pium Aeneam monuit: “ Salutem quaere, fuge, et Penates Troiae in alienas terras porta”. Aeneas imperio Iovis paruit et suos deosque Penates in naves imposuit.

Venti ad insulam Delum naves gesserunt, ubi deus Apollo semper cultus erat pie. Aeneas enim consulere potuit deum. Aeneas tremens hanc vocem Apollinis audivit: “Navigate in Italiam ibique novas sedes quaerite, multos labores vobis Iuno imponit. Sed Venus, mater tua, numquam vos deseret”.

Troiani, qui ita confirmati erant, rursus mare petierunt. Post longos errores pervenerunt in Italiam. Prima castra in Latio posita sunt. Ibi regnabat Latinus et incolebant Latini. Latinus Aeneam suosque benigne accepit. Latium nova patria Troianorum fuit”.

Casius a discipulis libenter audiebatur, nam fabulas narrabat grata voce et iucundo gestu.

- Magister, cur Graeci cupiebant delere Troiam?, interrogavit Marcus. Cur Graeci cum Troianis pugnabant?

- Graeci cum Troianis pugnaverunt, respondit magister, quia Paris, filius Troianorum regis, rapuerat Helenam, uxorem Menelai. Menelaus Spartanorum rex erat. Helena, femina pulcherrima, amabatur a Paride; Paris etiam ab Helena amabatur.

- Et cur magnus equus acceptus est intra moenia a Troianis?, dixit Quintus. Troiani debuerunt cavere a Craecis.

- Graeci, ait Casius, deponere arma simulaverunt et in Tenedum insulam navigaverunt. Laeti Troiani portas oppidi aperuerunt atque magnus equus ligneus visus est. Graecus Sinon, qui ad dolum paratus erat, capitur a pastoribus et trahitur ad regem. “Ulixes mortem meam petebat”, clamavit perfidus Sinon. “Me destinavit arae. Ego autem noctu evasi. Nunc mors mea petitur a Graecis atque a vobis”.

Priamus, Troianorum rex, hospitium Sinoni praebuit et rogavit:

- Cur equus a Graecis statutus est?

- Magnus equus, respondit Sinon, donum est Minervae. Graeci cupiunt ut equus violetur a vobis. Ita magnam poenam dabitis, Introducite equum in urbem atque victores eritis!

Talibus insidiis Sinonis res credita est.

- O, quam perfidus Sinon fuit!, clamavit Antonia.

- Sed ita Aeneas, filius Veneris, venit in Italiam et fuit Romanorum pater, dixit magister.

Un banquete

Triclinium C.Antonii magnum et pulcherrimum est. Tres lectos (summum, medium et imum) cum mollissimis pulvinis habet, In mediis lectis pretiosa mensa est. Delicatae picturae parietes decorant; pavimentum pulchris lapidibus variis ornatur. Amici convivae cum Antonio recumbebant.

Ita gustationem et cenam valde lautam sumpserant: ova, mulsum, caseum, asparagos, haedum, pullum vitulinam pisces varios, uvas, pira et mala. Iam in comissatione erant. Vinum linguas solverat.

Eloquentissimus omnium erat Faustinus poeta. Ceteri autem non tacent. Tandem Tyndarus e sinu papyrum educit et voce maxima inter omnes versus legit. Invite auditur. Faustinus iratus clamat: “Versus meos recitas”. Tyndarus autem respondit: “Versus mei sunt; tu invidiosus es”.

COMPUESTOS DE SUM

La zorra y el cuervo (adaptación de Fedro)

Adeste, discipuli, et audite:

Vulpes callidissima est omnium animalium. Quondam corvus, qui in altissima arbore sedebat, in ore caseum tenebat. Vulpes caseum vidit et blandis verbis astuta dicit: “Amice corve, tu es fortunatissima avium. Tu es pulchrior quam pavo; tuarum pennarum fulgor maior est splendore auri. Tua vox suavis et grata est. Igitur canta”. Corvus vulpis laudes beatus audit; os, quod caseum habet, aperit; ingentem vocem dat. Caseus ex ore cadit et vulpes gratissimum caseum invenit. Tunc vulpes dixit laeta: “Avis pulchra, tu omnium animalium stultissima es”.

La ciudad de roma

Romulus Urbis locum maxima opportunitate delegit, nam urbem Romam in Tiberis fluminis ripis condidit, haud procul a maris litore. In Tiberi flumine Romani pontes multos postea fecerunt. Primum aedificaverunt Pontem Sublicium, quem olim Horatius, vir egregius, adversus hostes fortiter pugnans, defendit. Deinde Pontem Aemilium fecerunt. Est in flumine parva insula, quam Pons Fabricius urbi iungebat, atque inter hanc insulam et agros Pons Cestius erat.

Romulus antiqua urbis moenia magna cura struxit. Haec moenia Palatinum montem tantum muniebant. Postea Romani ea moenia, quia nimis parva erant, pro incrementas rei publicae aliquotiens auxerunt et multos editosque colles validas moenibus mu-niverunt. Ex his collibus unus, arx Urbis sedesque Iovis templa, Capitolium erat. Romae

multae portae erant, nam multae viae ex Urbe in omnes Italiae regiones ducebant. Via Appia viarum regina erat. In magnis triumphis via Sacra duces victores in Forum procedebant cum exercitu suo, atque inde in Capitolium ascendebant, ut gratias diis pro victoria agerent.

Extra muros, in Campo Martio, milites olim se armis exercebant; postea cives post negotia eo loco cum amicis ambulabant aut in viridi gramine sedebant, ibique Romani iuvenes multis ludis exercitationibusque variis corpora sua firmabant. Forum Romanum inter Capitolium et Palatinum collem patebat, eumque Vestae templum et Rostra et Curia multaque alia pulcherrima aedificia ornabant. In Circo Maximo, inter Aventinum Palatinumque sito, Romani ludos celebrabant.

Dies festus Romae

Gaius Alexandro: “Iam dies festi”, inquit, “appropinquant. Magnus est numerus dierum festorum rei publicae romanae. Populus romanus dies festos magno studio celebrat. Mane in planitie fori romani magnam pompam videmus. In Capitolio deos et deas pro re publica nostra oramus. Post meridiem populus in Circo Maximo magnificos ludos spectat. Quam pulchra est Roma diebus festis!”

Diebus festis Gaius non aderat in schola et laetus erat. Aliquando ad circum accedebat et tauros cornibus magnis praeditos videbat. Postea ludis scaenicis aderat et hora opportuna ad cenandum domi erat. Puellarum puerorumque vita in feriis iucunda erat. Sed nunc Gaius puer iam non est, sed consulatui praeest et pro re publica bona fide vitam agit.

CONJUNCIONES

Guerra del Peloponeso

Graeciam perdidere civitatum dissensiones. Atheniensium gloriae et potentiae invida Sparta Corinthios et Thebanos adversus Athenienses concitavit. Initio belli, cum res Atheniensibus prospere evenirent, horrenda pestis urbem et Atticos agros vastavit, ipsum Periclem corripuit et confecit.

Los saguntinos ante la amenaza de Aníbal

Cum Saguntinis bellum nondum erat, belli causa iam erat. Tunc Saguntini Romam legatos miserunt, atque auxilium ad bellum iam non dubium petiverunt. Consules tunc Romae erant P. Cornelius Scipio et P. Valerius Longus. Etiam Romani legatos, P. Valerium Flaccum et Q. Baebium Pamphilum, Saguntum ad Hannibalem atque Carthaginem miserunt. Interea Hannibal Saguntum oppugnavit. Saguntum erat oppidum opulentissimum ultra Hiberum. Sagunti incolae a Zacintho insula oriundi erant.

Homo vere romanus

Quinctius Cincinnatus senator Romanus fuit, qui iam ante consul erat. Summus erat eius amor patriae. Ut tum mos erat, agrum ipse magno studio colebat. Ne summi quidem honores modestos illius viri mores mutaverunt. Aliquando unus

de duobus consulibus ab Aequis superatus erat. Summo in periculo senatores tres legatos ad Cincinnatum mittunt. Ab aratro eum dictatorem ad se vocant. Dictator ille Aequos una pugna vicit et patriam a timore liberavit. Tum more imperatorum victorum triumphavit. Sed post summum hunc honorem praeclarus ille victor more patrio rursus agrum arabat.

Puerorum romanorum vita

More maiorum ancilla infantem patri ostendit. Pater infantem manibus suis suscipit atque ita pro filio illum agnoscit. Puero praenomen, nomen et cognomen imponit pater atque collo infantis auream bullam suspendit. Puer tunicam et togam praetextam induit atque auream bullam portat. Cum paedagogo in ludum cotidie venit. Cum pueris saepe in palaestra pugnat. Cursu cum aequalibus contendit. Equum parvis manibus saepe flectit. Pila in molli gramine ludit. Armis se exercet, nam fortis miles mox erit et pro patria fortiter in acie pugnabit. Puer in Larium ara bullam auream, quam in collo semper habuerat, suspendit; deinde praetextam togam deponit atque togam virilem sumit.

La zorra y el cuervo

Cum corvus de fenestra caseum rapuisset, in altam arborem subvolavit et ibi manducare coepit. Corvum vulpes vidit. Vulpes astuta blandis verbis corvo dixit: “O corve, tu pulcherrimus omnium avium es. Tu multo pulchrior pavone es. Quantum decoris corpore et vultu geris! Si vocem haberes, nulla prior avis esset! Canta igitur, tu vox tua a me laudetur”. Corvus stultus, ut vocem ostenderet, os aperuit atque caseum emisit. Celeriter dolosa vulpes avidis dentibus caseum rapuit et devoravit.

El rapto de las sabinas

Romulus imaginem urbis magis quam urbem fecerat: deerant incolae. Erat in proximo lucus; hunc asylum fecit. Eo statim multitudo latronum pastorumque confugerunt. Cum vero ipse et populus uxores non haberent, legatos ad vicinas gentes misit, ut societates connubiumque peterent. Nusquam benigne lagatio audita est; ludibrium etiam additum est: “Quidni feminis quoque asylum aperuisti? Id enim compar esset connubium”. Romulus aegritudinem animi dissimulans ludos parat. Multi convenerunt, maxime Sabini cum liberis et coniugibus. Ubi spectaculi tempus venit, cum signum a Romulo datum esset, virgines raptae sunt et haec fuit statim causa bellorum.

La cigüeña y la zorra

Vulpes ad cenam ciconiam invitavit. Vulpes ciconiae patinam plenam sorbitionis liquidae praebuit. Ciconia igitur famem satiare non potuit. Cum ciconia ad cenam vulpem revocavisset, cibo plenam lagonam posuit, in lagonam rostrum inseruit et satiata est. Vulpem convivam fame torquet. Itaque vulpes iniuriam ciconiae expiavit.

Los viajes de Eneas

Aeneas dux, Troiae natus, pro patria bello Troiano fortiter in acie pugnavit. Ex eo bello incolumis evasit, sed Graeci Troiam ceperunt atque Aeneas ex ea urbe cum patre filioque aufugit. Primum Troia in Thraciam navibus venit. Deinde ventus naves eius e Thracia in Cretam impulit, sed mox ex ea insula excessit, quia ibi saeviebat gravis

pestilentia.

Aeneas vento secundo e Creta in Siciliam cum socus pervenit. Ibi rex amicus hospitium benignum eis praebuit. At Iuno dea, Troianis infesta, Aeneam ab Italia arcebat tempestatemque movit saevissimam, quae Aeneam eiusque socios ab Italiae oris in Africae litora reiecit. Ita Aeneas ex insula Sicilia Carthaginem ad reginam Didonem invitus advenit. Carthagine non diu mansit, nam deorum iussu Carihagine, ubi regina Dido eum benigne acceperat, mox excessit, atque in Siciliam rursus pervenit. Ex ea insula ad Italiam navigavit. Tandem vento secundo in Italiam pervenit, ubi urbem in Latio, haud procul a Tiberis ripis, condidit. Postea in proelio apud Numicum flumen pugnans cecidit.

En el Circo

Romanos ludi circenses magnopere delectabant. Plerumque theatro anteponebant Circum Maximum, qui ducenta quinquaginta milia spectantium continere poterat. Die ludorum pompa e Capitolio in Circum Maximum procedit. Praecedit aedilis in quadrigis vectus; equites, aurigae currusque magnifice ornati succedunt. Aurigae, dextra manu flagellum, sinistra habenas gerentes, caput galea tegunt corpusque suum habenas cingunt, ut eas firmiter teneant. Cultros tamen habent, ut , si forte de curru decidant, habenas cultro secent. Cursus incipiunt. Aedilis, qui ludis praeest mappam albam in arenam mittit. Ita signum dat. Statim equi e carceribus apertis in arenam procurrunt. Clamore ingenti spectatores aurigas monent: stant, clamant, plaudunt. Volantes in pulvere quadrigae vix aspici possunt. Aurigae equos flagello concitant, nam spatium arenae septies decurrere debent, ad metas equos ita flectentes, ut eas non offendant neque currus frangatur. Equorum velocitas et aurigarum calliditas populum delectat, omnesque laetitiam studiumque magno clamore et plausu signifícant. Sed ex aurigis unus prope metam flectit, eamque sinistra rota offendit et currus frangitur. Insequens auriga continuo consistere et equos sustinere cogitur. Tunc tertius facile aemulos superat et primus ad calcem venit victoriamque obtinet.

El niño y el delfín

Velocissimus omnium animalium est delphinus. Tanta vi exsiliunt delphini, ut plerumque vela navium transvolent. Lingua est illis mobilis, brevis atque lata. Pro voce gemitus humano similis.

Hoc animal non solum homini, verum etiam musicae amicus est. Itaque delphinus hominem non timet, sed navigiis obviam it, adludit exsultans, certat etiam et navigia saepe praeterit.

Nobilis est haec fabula:

Puer quidam delphinum panis fragmentis adlexerat: eum delphinus miro amore dilexit. Omni diei tempore inclamatus a puero, ex imo mari adnatabat, tum praebebat dorsum, ut ille ascenderet eumque ferebat a Baiano litore. Puteolos ad ludum litterarium; deinde simili modo rursus vehebat Hoc officium per plures annos praestitit Sed, cum puer decessisset, delphinus saepe ad locum consuetum veniebat. Tandem, cum puerum non inveniret, pueri desiderio exstinctus est, atque in eius sepulcro inhumatus est.

FORMAS NO PERSONALES

Origen del capitel corintio

Puella quaedam Corinthi decessit. Post eius sepulturam, pocula, quae puella in vita amaverat, nutrix in calatho collegit et tulit ad monumentum tegulisque texit. Is autem calathus fortuito supra acanthi radicem collocatus erat. Interim acanthi radix folia verno tempore profudit; sed frondes, secundum calathi latera crescentes et tegularum pondere expressi, flexuras fecerunt. Tunc Callimachus hunc calathum vidit, delectatusque formae novitate, ad id exemplar columnas constituit.

De irato agricola

Agricola in agros circum villam ambulat. Iratus est; nam neque filius neque servus agros arat. Itaque vehementer agricola eos vituperat. "Pigritiam vestram laudare non possum. Agriculturae non studetis. Hic agri aridi patent, illic equos sordidos in campo video. Nolite respondere; nunc properate. Serve, cura equos meos maxima diligentia. Puer, in muri umbra noli sedere. Arate agros meos sine mora. Validi estis: Itaque nolite dare vitam otio. Opera vestra divitias meas augebitis. Tunc praemia nec servo nec filio meo deerunt. Cum Syracusis aut Romae apud amicos ero, diligentiam vestram laudare potero".

El piadoso Eneas (adaptación de Virgilio)

Aeneas audivit verba fatalia Veneris, matris suae. Super umeros patrem suum Anchisem tollit et suis servis et familiaribus suam coniugem, Creusam, committit.

Nocte inter flammarum fulgura per vias perque muros cum patre Anquise et filio Ascanio fugit: debet parere deis et condere novam patriam.

Nox erat obscura et in caelo pallida luna fulgebat, tamen senex Anquises per noctis tenebras fulgentia hostium arma videt et ait: "Nate, nate, celeriter fuge. Hostes appropinquant".

Sic omnes ad Cereris antiquum templum perveniunt, sed sola Creusa deerat. Aeneas, incensus magna ira, in Troiam revertit et per domos et vias suam amantissimam coniugem frustra quaerit.

Sed, ecce infelix simulacrum et umbra Creusae ante oculos apparet in nocte et dicit: "Venies in terram Hesperiam. Ibi invenies aliam coniugem, Laviniam. Iam vale, tu serva natum Ascanium, amorem communem".

Aeneas illa tristia verba audivit, Creusam comprehendere desiderat, sed frustra. Creusa effugit sumillima ventis rapidis et par volucri somno.

Los baños, lugares ruidosos

Undique me varius clamor circumsonat. Supra ipsum balneum habito. Propone nunc tibi omnia genera vocum: cum fortiores corpora exercent et manus plumbo graves iactant, cum aut laborant aut laborare simulant, gemitus audio, quotiens retentum spiritum

remiserunt sibilos et acerbissimas respirationes. Si pilicrepus supervenit et numerare pilas coepit, actum est. Adice nunc furem deprehensum et illum, cui vox sua in balneo placet. Adice eos, qui in piscinam cum ingenti impulsae aquae sono saliunt. Iam biberarii varias exclamationes et botularium et crustularium et omnes popinarum institores mercem suam quadam et insignita modulatione vendentes.

Fábula del león y el ratón

Dum leo in silva dormiebat, rustici mures luxuriabant. Unus ex muribus super dormientem casu salit. Leo, qui expergefactus erat, miserum murem celeri impetu arripuit. Mus veniam rogat; peccatum imprudentiae fuit, dixit. Rex silvae eum ignovit et dimisit.

Pos paucos dies leo, cum ambularet noctu, in foveam cecidit. Captus laqueis, voce maxima rugire coepit. Mus ad sonum immanem leonis subito occurrit. Timere non debes, dixit, gratiam parem beneficio magno reddam.

Mox ligamina et nervos dentibus rodit atque laqueos laxavit. Sic mus captum leonem silvis reddit.

Las magistraturas republicanas.

Sunto aediles curatores urbis, annonae ludorumque sollemnium, illisque ad honoris amplioris gradum is primus ascensus esto. Censores populi aetates, suboles, fámilias pecuniasque censento: urbis templa, vias, aquas, aerarium, vectigalia tuento; populique partes in tribus discribunto.., mores populi regunto, probrum in senatu ne relinquunto. Bini sunto: magistratum quinquennium habento; reliqui magistratus annui sunto, eaque potestas semper esto. Iuris disceptator, qui privata iudicia iudicet iudicarive iubeat, praetor esto. Is iuris civilis custos esto. Regio imperio duo sunto; iique praeundo, iudicando, consulendo praetores, iudices, consules appellantor; militiae summum ius habento, nemini parento, illis salus populi suprema lex esto. Ast quando bellum gravius, discordiaeve civium erunt, unus, ne amplius sex menses, si senatus decreverit, idem iuris, quod duo consules, teneto, isque populi magister esto.

Esclavos arrojados a las murenas.

Cum aliquando Augustus apud Pollionem quemdam cenaret, unus ex servis vas crystallinum fregit. Statim Pollio iussit ut illum servum comprehenderent, et, ne vulgari morte periret, abicerent muraenis, quas ingens piscina continebat. Evasit tamen e servorum manibus puer, et ad pedes Caesaris se proiecit, mortem non recusans, sed rogans ne piscium esca esset. Motus tanta crudelitate, Augustus servi infelicis patrocinium suscepit, sed a domino crudeli veniam impetrare non potuit. Tum iussit ut vasa crystallina ad se apportarentur atque omnia sua manu fregit, servum manumisit, atque iussit ut piscina compleretur.

Fábula del padre moribundo

Agricola Romanus ante mortem suam liberos ad se in villam vocavit et haec verba dixit: “Quamquam hanc vitam, quae ruri agitur, equidem scio vos nunquam amavisse et putare illam Romae iucundiorem esse, nolite tamen fundum a maioribus relictum

vendere. Istud consilium ego non laudo. Magna enim pecunia in loco quodam fundi latet, quam fortasse invenietis”. Postquam senex a vita discessit, filii primum magnam vineam, quae villae propinqua erat, deinde ceteros agros, villae denique ipsos muros dies noctesque magno labore foderunt. Nihil invenerunt, sed minore pretio quam speraverant fundum suum vendere debuerunt, quia omnia deleverant. Haec fabula illis dicitur qui putant praemia laborem semper decorare.

Los argonautas y el vellocino de oro

Multas fabulas a Graecis accepimus. Nobilis est fabula, quae miram Iasonis Argonautarumque navigationem narrat. Iason, filius Thessaliae regis, cum rapere cuperet vellus aureum arietis, qui olim duos fratres per aera, transportaverat, magnam expeditionem paravit. Rex Colchorum vellus aureum servabat, idque custodiebant immanis draco taurique feri, qui flammas ore vomebant. Cum Iason immensam navem construxisset, et in navem conscendisset cum Theseo, et Hercule multisque Graeciae principibus in Colchidem pervenit. lbi Medea, regis filia, Iasonem adiuvlt. Cum Iason Colchidis regem post multos labores vicisset, vellus aureum rapuit et Medeam in patriam secum vexit. Cum Argonautae in Graeciam venissent, Olympicos ludos instituerunt, quos postea omnes Graeciae populi semper celebraverunt.

Orígenes de Roma: leyenda de Rómulo y Remo

Proca, rex Albanorum, duos filios, Numitorem et Amulium habuit. Numitori, qui natu maior erat, regnum legavit; sed Amulius, invidia incitatus, fratrem regno expulit et, ut eum sobole privaret, Rheam Silviam, eius filiam. Vestalem fecit. Haec tamen geminos edidit, Romulum et Remum, quorum pater Mars ipse erat. Statim Amulius, ira incensus, Rheam Silviam in carcerem coniecit, eiusque filios, in alveo impositos, abiecit in Tiberim, qui tunc forte super ripas erat effusus; sed, relabente flumine. aqua mox alveum in sicco reliquit. Vastae tum in iis locis solitudines erant. Lupa, ut fama est, ad vagitum infantium accurrit, et, matris ministerium suscipiens, eorum oribus mammas admovit eosque lacte suo nutrivit.

Cum lupa saepius ad parvulos veluti ad catulos reverteretur, Faustulus, pastor regius, rem animadvertit infantesque in suam casam transtulit, Accaeque Larentiae coniugi tradidit, ut ab ea alerentur. Hi, inter pastores educati, primo ludicris certaminibus vires auxerunt, deinde feras venari in saltibus coeperunt et latrones a pecorum rapinis arcere. Quodam die iis insidiati sunt latrones: Remus captus abductusque est; Romulus autem evadere potuit. Tunc Faustulus, necessitate compulsus, indicavit Romulo quis esset eius avus, quae mater. Statim Romulus, armatis pastoribus, Albam, ubi regnabat Amulius, properavit.

Interea latrones Remum ad Amulium regem perduxerant, eum affirmantes in Numitoris agros multas incursiones fecisse. Ideo Remus Numitori a rege traditus est ad supplicium; at Numitor, considerato adulescentis vultu, nepotem suum agnovit. Remus enim oris lineamentis erat matri simillimus, eiusque aetas tempori expositionis congruebat. Dum ea res animum Numitoris anxium tenet, repente Romulus Albam advenit, fratrem liberat, Amulioque interfecto, avum Numitorem in regnum restituit.

Deinde Romulus et Remus urbem condere decreverunt in locis ipsis ubi expositi educatique erant. Sed de imperio inter eos orta est magna contentio, et, ut res a deis

diiudicaretur, adhibuerunt auspicia, Remus quidem sex vultures vidit prior, Romulus autem paulo post duodecim. Hic igitur, augurio victor, urbem futuram aratro designavit Romamque vocavit, et edixit ne quis sulcum vomere circumductum transiliret. At Remus hanc fossam sacram transiluit irridens. Tum vero Romulus iratus fratrem interfecit, his increpans verbis: “Sic deinde malo afficiatur quicumque transiliet moenia mea.” Ita imperio solus potitus est Romulus.

Un joven romano se convierte en ciudadano.

Marcus togam virilem hodie sumpturus est. Domi omnes amici, propinqui clientesque iam sunt. Puer in atrium ad Lares ducitur. Primum bulla aurea detracta, quam in collo semper habuerat, in Larium ara suspenditur; deinde praetexta toga detracta, sumptaque virili, ad patrem accedit atque eum amplectitur. Tunc omnes plaudunt et Marcum civem Romanum appellant.

Amílcal y Asdrúbal

Regna Hispaniae primi Carthaginienses occupavere. Nam cum Gaditani a Tyro (unde et Carthaginiensibus origo est) in Hispanam transtulissent, urbemque Gades ibi condidissent, invidentibuss finitimis Hispaniae populis incrementis novae urbis ac propterea Gaditanos bello lacessentibuss, auxilium consanguineis Carthaginienses miserunt.

Ibi felici expeditione Gaditanos ab iniuria vindicaverunt, et maiorem partem provinciae imperio suo adiecerunt.

Postea quoque Hamilcarem imperatorem cum magna manu ad occupandam provinciam miserunt; qui, magnis rebus gestis, dum fortunam inconsultius sequitur, in insidias deductus, occiditur.

In huius locum gener ipsius Hasdrubal mittitur; qui et ipse a servo Hispani cuiusdam, ulciscente domini iniustam necem, interfectus est.

La guerra y el derecho de gentes (adaptado de Cicerón)

Quaedam officia servare debemus etiam adversus eos, a quibus iniuriam accepimus. Est enim ulciscendi et puniendi modus. Atque in republica maxime conservare debemus iura belli. Nam cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, cum illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugere debemus ad posterius, si adhibere superiorem non possumus. Quare suscipere bella tantum debemus ob eam causam, ut sine iniuria in pace vivamus; parta autem victoria, conservare debemus eos, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt, ut maiores nostri multos hostes in civitatem etiam acceperunt; at Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt.

Et non solum iis, quos vi devicerimus consulere debemus, sed etiam eos, qui armis positis ad imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percusserit, recipere debemus. In quo tantopere apud nostros iustitia culta est, ut ii, qui civitates devictas in fidem recepissent, earum patroni essent more maiorum.

El triunfo.

Inter omnia Romanis iucundissimum est spectaculum imperatoris triumphantis, triumphus autem non decernitur saepe a senatu. Cum triumphi dies advenit, templa omnia floribus ornantur omnesque arae sertis coronatae ture fumant. Cives omnes, candidas togas gerentes, cum uxoribus et liberis, in forum laeti concurrunt. Ingens multitudo in tabulatis, quae per Forum exstructa sunt, sedet. Triumphus tandem incipit A Campo Martio, ubi imperator milites suos laudavit, pompa triumphalis Via Sacra ad Capitolium incedit. Praecedunt tubicines, qui bellicum sonantes agmen ducunt. Tum praeda ex hostibus capta plaustris portatur. Deinde albi tauri, cornibus auratis, ad sacrificium ducuntur. Hos sequuntur vincti captivi obsidesque multi nobiles. Tum ipse imperator, toga picta tunicaque palmata vestitus, sceptrum eburneum gerens, lauro coronatus, in curru triumphali quattuor equis tracto, invehitur. Currum sequuntur milites victores, “Io triumphe”, clamantes, imperatoremque cantibus laudantes. Imperator in Capitolium ascendit, ubi tauros immolat spoliaque hostium Iovi dedicat.

De Quinti infirmitate

Magna cura compleor, quod Quintus, amicus noster, iam diu aeger est. Valde eius morbum doleo, valde nunc eum desidero in cunctis rebus et factis. Nam idem semper erat animus noster, eadem erat vita nostra ex die ad diem. Semper iisdem rebus gaudebamus, et eodem animo ducebamur. Nunc dicitur a medico quod eius aegritudo ad tempus tantum est; postea salutem iterum habebit. Hi dies ut festi a nobis magno studio expectantur. Moneor tamen, ne laetitiae excessu afficiar. Infirmitas non est ad mortem, sed poenas graves fert secum. Patet quod Quintus saevis doloribus cruciatus est. Cur Quintum non visitas? Non eius dolores affectu tuo lenire cupis? Amici boni est amicum infirmum visitare et ei solatio esse in horis arduis et difficillimis.

Post dies tristes Quintus valetudinem toto corde cupit et medico suam spem valetudinem recuperandi dixit.

Medicus idoneum remedium amico nostro paravit et Quintus mox valuit.

Hispania y los hispanos (adaptado de Justino)

Hispania Europae terminos claudit Hanc veteres ab Ibero amne primum Iberiam, postea ab Hispano Hispaniam cognominaverunt. Haec inter Africam et Galliam posita, Oceani freto et Pyrenaeis montibus clauditur.

Neque, ut Africa, violento sole torretur, neque ut Gallia, assiduis ventis fatigatur; sed media inter utramque hinc temperato calore, índe felicibus et tempestivis ímbribus in omnia frugum genera fecunda est.

Corpora Hispanorum ad inediam laboremque, animi ad mortem parati sunt. Dura omnibus et adstricta parsimonia est. Bellum quam otium malunt: si extraneus deest domi hostem quaerunt. Saepe tormentis pro silentio rerum creditarum mortui sunt: adeo illis fortior est taciturnitatis cura quam vitae.

Velocitas genti pernix est, inquies animus. Plurimis militares equi et arma sanguine ipsorum cariora sunt. Nullus in festos dies epularum apparatus. Aqua calida lavari post secundum bellum Punicum a Romanis didicerunt.

Gallaecia cum aeris ac plumbi uberrima est, tum et minio, quod etiam vicino flumini nomen dedit. Auro quoque ditissima; adeo ut etiam aratro frequenter glaebas aureas exscindant. In huius gentis finibus sacer mons est, quem ferro violari nefas habetur; sed si quando fulgure terra proscissa est, quae in his locis assidua res est, detectum aurum, velut deorum munus, colligere permittitur.

Feminae res domesticas agrorumque culturas administrant; viri armis et rapinis serviunt. Praecipua his quidem ferri materia, sed aqua ipso ferro violentior est, quippe temperamento eius ferrum acrius redditur, nec ullum apud eos telum probatur, quod non quibusdam fluviis tingatur.

Consejos de Quintiliano a los maestros

Tu, qui discipulos ducturus es, clarissimi magistri haec consilia audi: “Ante omnia, sume parentis animum erga tuos discipulos. Memento te succedere in eorum locum qui tibi suos liberos commiserunt. Tristis austeritas aut nimia comitas a te pariter absit: metue enim ne illinc odium, hinc contemptus oriatur. Saepe admonitionibus utere, rarius castiga. Esto minime iracundus; tamen ne ea, quae emendanda erunt, dissimulaveris. Praesta te in docendo simplicem ac patientem. Discipulis interrogantibus libenter responde; non interrogantes percontare ultro. In laudando ne parcus fueris neve effusus. In emendando fuge acerbitatem et contumeliam, quae multos a studendi proposito avertit.

Las magistraturas republicanas

Sunto aediles curatores urbis, annonae ludorumque sollemnium, illisque ad honoris amplioris gradum is primus ascensus esto. Censores populi aetates, suboles, famílías pecuniasque censento; urbis templa, vias, aquas, aerarium, vectigalia tuento; populique partes in tribus discribunto... mores populi regunto, probrum in senatu ne relinquunto. Bini sunto: magistratum quinquennium habento; reliqui magistratus annui sunto, eaque potestas semper esto. Iuris disceptator, qui privata iudicia iudicet iudicarive iubeat, praetor esto. Is iuris civilis custos esto. Regio imperio duo sunto; iique praeundo, iudicando, consulendo “praetores”, “iudices”, “consules” appellantor; militiae summum ius habento, nemini parento, illis salus populi suprema lex esto. Ast quando bellum gravius, discordiaeve civium erunt, unus, ne amplius sex menses, si senatus decreverit, idem iuris, quod duo consules, teneto, isque populi magister esto.

Numa Pompilio

Succedit Romulo Numa Pompilius. Ille sacra et caerimonias omnemque cultum deorum inmortalium docuit; ille Pontifices, Augures, Salios, ceteraque populi Romani sacerdotia (instituit); annum quoque in duodecim menses, fastos dies nefastosque descripsit... In primis focum Vestae virginibus ad colendum dedit... Eo denique ferocem populum redegit, ut imperium religione atque iustitia gubernaret.

FLORO Bellorum romanorum libri duo (siglo II)

Un poema de Catulo

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus
rumoresque senum severiorum
omnes unius aestimemus assis.
Soles occidere et redire possunt:
Nobis, cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una durmienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
dein mille altera, dein secunda centum.

Una fábula de Fedro

Numquam est fidelis cum potente societas:
Testatur haec fabella propositum meum.
Vacca et capella et patiens ovis iniuriae
Socii fuere cum leone in saltibus.
Hi cum cepissent cervum vasti corporis,
sic est locutus, partibus factis, leo:
«Ego primam tollo, nominor quia leo;
secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;
tum, quia plus valeo, me sequetur tertia;
malo affligetur, si quis quartam tetigerit.»
Sic totam praedam sola improbitas abstulit